

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 94. (*Neovidensis* 1807. Nro. 93.)

*Secretum Commercium litterarum
inter vita fruētes, et ea functos.*

Ad Quintum Curtium Rufum in Campis Elysiis.

Ex mundo superiore.

Die Veneris. 4. Dec. 1807. (Neov. Martis 17. Nov.)

In regione, in qua omnia artis miracula totius pene Europæ cernere est, reperiuntur quoque viri, qui Historiæ veteri notabilem lucem conciliant. In ceteris, Parisiis Editio tuorum operum vulgata, *Gesta Alexandri Magni*, quæ Tu Curti Rufe! posteritati transcripsisti; nostro ævo non ea, quanta olim admiratione animos percellunt, quod alia in oculis Europæ heroica facta suppetant, quorum multitudine, ut ita dicam, jam iis asvevimus.

Interim adnotare debeo, Svavissime Rufe! Anno 1775 ab erudito quodam prætensum esse: a se quodpiam Manuscriptum protractum, in quo *Colloquium inter Alexandrum & Diogenem* multis cum adjunctis describitur; Tibi Rufe! optime convenit, de rei hujus argumento statuere. En excerpta ex eo! ut sequitur:

Diogenes: Hesterno die terræ incubui, nihil minus, quam regem excepturum me cogitans, repente moveri vas meum observo, & conspexi — quid conspexi? *Alexandrum*

tenui in cornu Vulcanum inclusum tenentem; salvumque jubeo.

Alexander. Homo singularis es! Equidem te quæro, te videre cupio, exigua tamen ratio te ferendi mihi suppetit; existimabam desiderium meum haud opportuno esse loco.

Diogenes. Quamobrem?

Alexander. Cupierem desinere esse rex, ut Diogenes esse possim, & hoc cur? ad humiliandos solum reges, quemadmodum tu mecum egisti.

Diogenes. Erras si id credis, & me ignoras Alexander! non hoc erat consilium mihi; Soli me obverti te veniente, ejus radii adeo benigne me fovebant, ut doluerim hanc mihi voluptatem intercipi, & hoc quantum est regi, qui omnibus desidiis perfruendi potis est; tu me opus non habes, & ego nescio quid a te petere possem, nullam proin necessitatem habui, quam te obsecrandi: ut solis luce excederes.

Alexander. Vere mirabilium omnium maximus Philosophus es, quos tellus unquam sinu complexa suo, prout regum ego, quos aliquando vidisti; places mihi, animus mihi est, tibi persuadendi: ut te portentosis actis meis comitem adjungas; illustri homine egeo, qui veritatem mihi dicere audeat.

Diog. O Alexander! cu vis in hoc mundi theatro fabula agenda est; Diogenes esse desinerem, si te sequerer; at, si tantus tibi amor audiendi vera est, tantam eorum humeris tuis molem injiciam, quanta opus habes, etiam si solus universi orbis dominus fores.

Alex. Ad amicas aures dictum esto : notio-
 ges mente foveo , quas ejicere nequeo ; Ma-
 cedonia mea exiguitate evanescit sua , Græcia
 aliquot solum jugeris plus largitur , Asia mi-
 nor , Armenia , Media , & India hem quam
 ampla , quam spatiosa regio ! hac semel in
 manu habita , cetera sub jugum mittere mo-
 dicus erit labor ; mundum ceu quoddam to-
 tum considero , homines eum inhabitantes uno
 solum supremo domino egent , & animo sen-
 tio : me eum esse designatum .

Diog. Fidem inrerponere non auderem :
 te toto in potestatem redacto , eo mentis aestu
 abreptum iri , ut in lunam , planetas medio
 pontis transeas , coelum ipsum occupaturus .

Alex. Insana idmodi consilia procul a me
 sunt , Diogenes ! at , quod ego animo menteque
 concipio , adeo elegans , adeo magnificum , adeo
 facile est , ut mirari satis nequeam , primum
 me ad eam cogitationem venisse .

Diog. Vide Alexander ! si me regem , prin-
 cipem , fieri contigisset ; easdem animo fove-
 rem cogitationes ; corda Græcorum manibus
 tenes tuis ; 30 armatorum ex tali juventute
 lectis millibus , juveni , ut es , principi , toti orbi
 jugum imponere expedita res est . — At , au-
 di sis , quid cum toto orbe facturus es ?

Alex. Lepida a Philosopho quæstio ! quid
 facturus sim ? quod e Macedonia , cum Epyro ,
 si nihil agendum restaret , factitarem . Omnia
 jam prævie in mente mea præparata sunt , po-
 pulos incultos neo erectis oppidis illocabo ,
 leges illis dicam , urbes & colonias in oris

fluminum, & marium commercii gratia condam, in universo continente nexum cum remotissimis regionibus procurabo, universo mundo unum idioma, & hoc est: *nostrum* imperabo, scientiæ & artes nostræ ubivis terrarum, & gentium promovebuntur, atque in medio Continentis metropolim exstruam, qua omnes nationes jungentur, & ex qua velut specula universum ego perlustrabo; quævis naturæ opes, & artium miracula ea sinu suo excipiet fovebitque; Tribunal Amphictionum humani generis, universalis omnium ingeniorum sublimium Academia in ea sedem habebit: in summa: princeps orbis urbs, & regia Alexandri sedes fulgebit.

Diog. Et quamdiu, O fili Philippi! magnum hoc opus durabit?

Alex. Usque Alexander superstes fuerit. Calleo equidem, & probe perspectum habeo: nihil sub sole stabile, & leves hominum sentiendi rationes, quibus ipsa beatitudo denique tædium parit, meorum consiliorum finem imposituræ; interim heroica vis, quam orbi indidi, aliquanto tamén tempore durabit, & jamjam animo percipio voluptatem, certam rationem immortalitatis, prætereunti somnio vitæ meæ dedisse; — omnes ego obices vincam, decem solum Anni, & veni, miranda videbis!

Diog. Alexander! Anno ætatis vicesimo orbem sub jugum mittendi consilium habes; res ridicula tibi videretur, si ab eo te advocandi mentem haberem; fortassis diris te de-

voverem, si Atheniensis, si Lacedemonius, Aegyptius, Medus, Capadox forem, at sum Cosmopolita, & mea totius humani generis interest; Vade, consilia exequere tua, at memento: quosvis homines voluptatis, & doloris non secus, ac tu, capaces esse; animo expende: æque te nobis tumulo inferendum, cogita: telum ex pharetra vilis Sogdiani evibratum, aut male digestam in ventriculo unam dapem, magnam & excelsam, quæ corpori insidet tuo, animam ab eo dissociare posse; quo facto, quævis heroicæ dispereunt ideæ; affectus tuorum ministrorum imperium tuum invidiæ exponere queunt, diesque tuæ vitæ attenuare; tum apparebis Cometæ instar, qui orbem stupore complet, at vix illucet, & jam occidit. —

Alex. (meditabundus, velut e somno ex-
perrectus). Profecto Diogenes! an in nullo tibi prodesse queo? vere Corinthios latet, quantus in te thesaurus!

Diog. Unum meum votum: ut in quiete relinquer; mens, qualis tua, non aliud, quam beneficium præstare potest, O Alexander! milliones hominum miseris & ærumnis cooperti squalent; perge, solare, opitulare! natali tuo bene precabuntur; hoc unum est, quod regum maximus præstare mihi potest beneficium, vale.

B I O G R A P H I A

Q. Curtius Rufus, Historiographus Romanus, secundum aliquos filius gladiatoris, id saltem liquet: eum tam vilis originis fuisse, ut Tacitus nomini adeo claro parciturus, ejus

natalium mentionem facere noluerit; in Juventute munus apud Quæstorem Africæ consecutus, amicos sibi conciliabat, ac patronos; & diversis in eâ orbis parte defunctus officiis; ipse tandem Præfetus Africæ denominatus. Tiberius, qui hoc ei munus ad tegendos ejus viles natales impertiebat, dicere solebat: *Curtius Rufus videtur mi hi ex se natus*; Tacitus & Plinius Junior memorant: ejus ad dignitates promotionem adparenti Adoumata, in forma mulieris spectro prænunciatam esse: Verum animi ejus indolis discriptio nequaquam eum commendat; ut ut sit; Curtius Rufus, historia Alexandri magni, immortale nomen adeptus est; quæ in decem digesta libros, quorum primi duo, finis quinti & exordium sexti periere; genus scribendi nobile, elegans, purum, at calamistris perquam involutum, cogitationes nitentes, acuminis & intelligentiæ plenas continet; nomine Alexandri haud territus herois hujus laudabilia quidem omnia, verum & vituperio digna in medium adfert; In orationibus, quas magno huic viro attribuit, nequaquam veritati litavit; multo prolixiores eæ sunt, & non obæcure auctoris spiritus iis intextus intelligitur; Id porro jure merito ei vitio datur: quod Geographiæ, Chronologiæ, factorumque nullam prorsus rationem habuerit; lectu facilis; & amœnus, multæque versiones (quæ originali latino multo inferiores) habentur; hujus sub omni, in ratione adplicationis ad hodierna tempora, respectu, memorabilis *Historia Alexandri Magni*. Sane res mira: nullam ante Seculum quintum decimum Histo-

riæ Curtii mentionem fieri; quod ipsum pluribus suspicandi ansam præbuit: quasi ab Italo quodam initio Seculi 15 hæc historia sub nomine Curtii orbi obtrusa fuisset; at puritas & elegantia scribendi sat superque refellit hanc conjecturam, cujus Romanus solum potis fuit.

*Zona frigida et torrida in ratione ad
Scientias.*

Clarus ingenio *Fontanelle* contendebat: torridam æque ac frigidam Zonam nullos claros & notabiles viros edidisse; Artes & scientiæ nullo unquam tempore ultra Ægyptum & Mauritaniam ex una, & nunquam ultram Sveciam ex altera parte pertigere. Diversis temporibus inter montem Atlantem & mare Balticum donabantur: Ex quo orbis exstat, nunquam auctor Nigrita; aut Lapo produci potuit.

Auctor olim *Nuncii inferioris Rhæni* in sinu gaudet: si ex officio scriptum argumentum suis paginis inserere potuit, quod per jocum *frustum bubulæ* adpellabat. Profecto insignie nutrimentum! at, si demum in Ephemeridibus sapidi boli, caules, cum insipidis dapibus, & concoctioni adversis epicis tumoribus adponantur, tum in fidedignitate tædium generatur, quod patinam Ephemeridum coctoris capiti illidere cupit. Coctioni adversa fercula sunt, cum fercula solum sint, quæ seducunt, aut quæ cum Epopæa in concinnam & intellectui imperviam carniæ misturam ob oculos ponunt. —

Ita jam ante 4 hebdomades regia Portugallica familia Americam australem petisse

dicebatur, verum litteræ Ulyssipone de 20. Oct. Edicti meminere, quo princeps Regens Portugalliæ navibus Anglicanis ingressum in portus Portugallicos prohibet, addunt præterea: memoratum principem consilii hujus in effectum deducendi gratia, copias undiquaque ad oram promovere, in qua Angli forte adpellere possent, novissimæ Madrito litteræ adfirmant, ab hoc principe Anglis bellum jam denunciatum esse.

Anglos re infecta Alexandria decedere debuisse, prout litteræ Constantinopoli de 15. Oct. perhibent, mirum non videtur; quippe: auxilio Esi Præfecti fidebant, quem aliquanto tempore Aegypto præficere se posse sperabant, at is, Classe Londino in Ægyptum tendente, mortuus est; adventantes Britanni ad *Rosettam* cæsi sunt; quo molimina in irritum cecidere, & transactione facta, Alexandria vela solverunt. Interim ex toto eventorum cursu colligitur: Anglis Russos irritare cavere, nondum enim Russicas naves adprehenderunt, & reapse 12. Oct. sub imperio navali Ducis *Siniavin* Classis prætergressa Meliten est, citra minimum ex parte Britannicæ impedimentum, quam portum Gaditanum subituram opinio est.
